



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-764900-p0001-0

DFG

XCVIII. 2
1778 19 35.
**DISSE^TRAT^O IN AVG^VRALIS IVRIDICA
DE
EXCEPTIONE AD IVS
TERTII PERTINENTE
PLANE INV^TL^II,**

Q V A M

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI
PRAESIDE

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO
Dn. RVD. CHRIST. HENNE, ICTO

EMINENTISSIMI AC CELSIS^M PRINCIPIS ELECTORIS
MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, FACVLTATIS
IVRIDICAE ET IUDICI^E PROVINCIALIS ASSESSORE, CO-
DICIS ET IURIS FEVDALIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

AD GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE IURE LEGITIME
CONSEQUENDVM

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

D. XX. IULII MDCCCLXXVIII.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

A V C T O R
CAROLVS DIENEMANN,

LOESNICENSIS
ADVOCATVS SAXON. ELECTORALIS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE, STANNO HENR. RVDOLPH, NONNII
ACADEMIAE A TYPIS.

EXCEP^TIONE AD I^MPERIUM
TERRITORIUM R^EALIA VENETIÆ



CONSPECTVS DISSERTA- TIONIS.

- §. I. **Q**uis sit tertius.
§. II. Qui in alterius ex contrahentibus jus successit non est tertius.
§. III. Quod ulterius declaratur.
§. IV. Qui ad alterius nexum moralem accedit, eatenus non est tertius.
§. V. Res inter alios acta aliis non nocet.
§. VI. Transactio, jusjurandum, Principis rescriptum, restitu-
tio in integrum tertio non nocent.
§. VII. Contra tertium datur exceptio.
§. VIII. Enumerantur exempla ad exceptiones de jure tertii
pertinentia.
§. IX. In oppignoratione feudi, in interdicto uti possidetis &
in exceptione spolii jus tertii non potest allegari.
§. X. In contractibus commodati, pignoris ac depositi alle-
gatio juris tertii non valet.
§. XI. In correlibus obligationibus jus tertii neminem juvat,
§. XII. Qui pro minore 25. annis fidejussit, est excors bene-
ficii restitutionis in integrum. SCtum Vellejanum ter-
tio non prodest.
§. XIII. Alius pro alio non compensat.
§. XIV. Ius protimiseos pactitium & jus retractus legale ex-
cludunt exceptionem de jure tertii.

A 2 DISSE-



DISSE^TAT^O DE EXCEPTIONE AD I^V
TERTII PERTINENTE PLANE
INV^TILI.

Quis sit tertius.

A d contrahenda, mediante facto personali obligatorio, ut pacto, contractu, quasi contractu, delicto, quasi delicto, jura & obligationes duea omnino requirunt personae, quarum altera obligacionem in se recipit, altera jus inde adquirit. Hac duea autem perso-

personae pro variis conventionum formis vario modo defini-
niri ac dilatari queunt. Nam aut loco conventionis simpli-
cis seu unilateralis, in qua unus solus obligationem, alter
solus jus recipit, conventio reciproca seu bilateralis initur,
qua utrique, sed diverso respectu jus, utrique obligatio ad-
quiritur; aut ab una vel ab utraque parte plures acce-
dunt personae, quae simul sumtae intuitu illius negotii,
quod geritur, unam tantum efficiunt partem; & talis con-
cursus vel ab initio, sive plures principaliter, sive minus
principaliter ad unam obligationem, unumve jus accedant,
vel ex postfacto contingere potest, si quis nimirum dein-
ceps vel per modum universalem vel singularem in ejus,
qui nexui cuidam inerat, locum succedit. Qui igitur his-
ce modis ad obligationem jusve concurrunt, illi ad alter-
utram partem pertinere, & nexui obligatorio inesse dicun-
tur; qui vero nullo plane modo ad res inter alias actas
concurrit, is proprius *tertius* dicendus, & ab omni inter
alios contracto jure & obligatione excludendus erit,

§. II.

Qui in alterius contrahentis jus successit, non est tertius.

Non igitur putandus est tertius, qui in unius ex con-
trahentibus jus successit. Qui enim titulo universali suc-
cedit, ille personam antecessoris repreäsentat, & non modo
omnia illius iura, quae non cum ejus persona exspirarunt,
adquirit, sed etiam ejus facta praefare tenetur, S. 7. *per quas*
perf. cuique adquir. l. 8. & l. 37. D. de adquir. heredit. l. ult. §.

14. C. de jure delib. Qui titulo singulari succedit, per pa-
 cium nimirum vel contractum, is quidem non potest ea-
 tenus plus juris aut obligationis in ea re habere, quam au-
 tor habuit, *l. 54. de D. R. I. l. 71. §. fin. de legar. I.* at certe
 tantum juris aut obligationis in ea re habebit, quantum
 auctor transferre voluit aut potuit, & sic etiam auctorem
 suum representabit. Evidem nonnunquam videtur talis
 successor singularis plus juris esse consecutus, quam ipse
 ejus auctor habuit, ut quam auctor rem alii locatam ven-
 diderit, quo casu emtor, (nisi aliud pacto placuerit, vel
 nisi conductor per hypothecam sibi in re conducta consti-
 tutam prospexerit, vel a filio conduixerit, *l. fin. in f. D. de*
jure fisci, vel res conducta per judicis sententiam alii domi-
 no adjudicata fuerit *l. 8. §. i. de reb. auctor. jud. poss.*) postu-
 lare potest, ut vacua ipsi tradatur rei emiae possessio, ut
 que sic locatio conductio dissolvatur, quam vendor ante
 hunc initum contractum sine justa causa dissolvere non po-
 terat. Sed ne sic quidem vendor dici potest plus juris
 in emtorem transtulisse, quam ipse habuit; quam
 enim ipsi permittatur rei suae alienatio, ejusque consecuta-
 rum sit locationis conductionis ante initiae dissolutio,
 magis quippe jus vincit debilius, salvo interim jure conductoris
 ad id, quod interest, agendi, quumque ipsi locatori etiam aliis
 sub conditionibus, quae continuationi contractus locationis
 ab ipsis legibus habentur contrariae, (ut si locator rem re-
 ficere cogatur *l. 3. C. loc. cond. l. 35. & 27. D. cod.*) dissolvere
 contractum liceat, hinc emtor dici non potest plus juris
 esse consecutus, quam ejus auctor habuit. Ceterum utrum
 emtor

emtor immediate & proprio jure conductorem ejicere pos-
fit, an ab auctore suo tantum postulare possit, ut vacuam
rei possessionem, aut nisi hoc fiat, interesse praestet, leges
diserte non definiunt. Posterius quidem analogiae juris
consentaneum esse videtur SCHAVMBVRGIO in comp. *Iuris Di- gest. tit. loc. cond. §. 23.* at *l. 25.* §. *I. D. loc. cond.* venditori se-
quens suppeditat consilium: *Qui fundum fruendum vel ha-
bitationem alicui locavit, si aliqua ex causa fundum vel aedes
vendar, curare debet, ut apud emtorem quoque eadem pactione
& colono frui & inquilino habitare liceat: alioquin prohibitus
is ager cum eo ex conducto.* Quum igitur colonus vel in-
quilinus dicatur prohiberi, hoc sane non videtur intelli-
gendum esse de ipso venditore, quippe cui suadetur, paēto
emtorem obstringere, quominus conductorem prohibeat.
Ex hac igitur lege fluere videretur omnino emtoris facul-
tas locationem conductionem dissolvendi. Praxis certe,
quam etiam agnoscit SCHAVMBVRG. *l. c.* hoc jus emtori
concedit, modo conductori ad migrandum aliquod tem-
poris spatium relinquat MEV. *P. 5. Decis. 339.* Hoc autem
per se intelligitur, quod etiam *l. allegata*, nec non *l. 24. §.*
a. loc. cond. clare disponit, conductorem cedere coactum,
adversus venditorem actione conducti, reparationem damni
quod incurrit, postulare posse.

§. III.

Continuatio.

Sed unde paullum digressi sumus, ad semitam re-
vertimus. Diximus auctorem tantum juris in successorem
per

per pactum transferre, quantum transferre voluit ac potuit. Hujus rei notabilis occurrit dispositio in l. 17. §. 5. D. de pact. Pactum conventum cum venditore factum si in rem constitutatur, secundum plurium sententiam & emtori prodest; & hoc jure nos uti Pomponius scribit. Secundum Sabini autem sententiam etiam in personam conceptum est. & in emorem vallet; qui hoc esse existimat, et si per donationem successo facta sit. Quid sit pactum in rem inve personam conceptum, docet l. 7. §. 8. D. de pact. pactorum quaedam in rem sunt, quaedam in personam. In rem sunt, quotiens generaliter pacifor, ne petam; in personam, quotiens ne a persona petam, id est, ne a Lucio Tiro petam. Pactum igitur in rem hereditibus prodest, & his omnibus, quos liberari pacienter interest. l. 21. §. 5. D. eod. His enim data exceptione padi non tam ipsis consultetur, quam ei, qui pactus est; ut pura pactum rei fidejussori prodest; quoniam rei principali- ter interest, fidejussorem liberari, ne mandatival negotiorum gestorum teneatur; ideoque quibus casibus fidejussor regre- sum aduersus reum non habet, ut cum fidejussit donandi ani- mo, cum pro re sua, pro invito & vetante, pactum rei fide- jussori non prodest. CVIAC. ad l. 21. §. 5. D. de pact. Pa- ctum autem in personam conceptum emtori quidem & do- natario etiam prodest, vi legis 17. §. 5. D. de pact. cum hac tamen restrictione, quamdiu venditor aut donator vi- vit, arg. l. 21. pr. D. de pact. junc. l. 19. §. 1. eod. ibi PAVLLVS: Item si filii familias pactus fuerit, ne a se petatur, proderit ei, & patri quoque, si de peculio conveniatur, & heredi patris, vi- vo filio. Post mortem vero filii nec patri nec heredi ejus;

quia

quia personale pactum est. Sicut idem obtinet, quum fru-
ctarius usumfructum vendit, l. 8. §. 2. de peric. & comm.
rei vend. Cum usumfructum mibi vendis, interest, utrum ius
arendi fruendi, quod solum tuum est, vendas, an vero in ipsum
corpus quod tuum sit, usumfructum mibi vendas; nam priore
casu, etiam si statim morieris, nihil mibi heres tuus debebit, he-
redi autem meo debebitur, si tu vivis, posteriore casu, heredi
meo nihil debebitur, heres tuus debet. vid. BRUNNEMANN.

Comm. ad Pandect. lib. 2. tit. 14. ad l. 17. n. 6.

§. IV.

*Qui ad alterius nexus moralem accedit, eattenuus non
est tertius.*

Praeter hos, qui in alterius jus universum aut rem
singularem succedunt, dantur & alii eodem inter se vincu-
lo morali obstricti, quos proinde hoc intuitu recte pro una
persona, neutquam vero pro tertio habueris. Tales sunt
dominus & procurator, exercitor, institutor; municipium &
actor; minor, furiosus similesque & curator; pupillus &
tutor; pater & filius familias. l. 11. §. 7. & 8. D. de exc. rei
judic. duo rei debendi vel credendi l. 2. D. de duob. reis constiit.
l. 31. §. 1. de novat.; fidejussor & debitor, l. 21. §. ult. D. de
exc. rei jud.; creditor & debitor ratione rei oppignoratae,
intuitu tertii, qui forte item de ea movit, ubi tamen no-
tanda est distinctio, quam proponit d. l. 11. §. ult.: Item si
rem, quam a te petierat, Titius pignori Sejo dederit, deinde
Sejus pignoratitia adversus te utatur; distinguendum erit,
quando pignori dedit Titius; & si quidem antequam peteret,

B

non



non oportet ei nocere exceptionem; nam & ille petere debuit, & ego salvam habere debo pignoratitiam actionem; sed si postea quam petit, pignori dedit, magis est, ut noceat exceptio rei iudicatae. Nempe si debitor creditori suo rem pignori dedit jamdum litigiosam, & sententia contra debitorem fuit pronunciata, tunc frustra creditor pignoratitiam contra vi-
torem movebit, quia eadem sententia est submotus, qua & ipse debitor, cum quo eandem gerit persoam. Notari autem meretur, hoc loco, ut & aliis in locis, in l. 3. §. 3.
D. ad exhib. l. 13. de condit. indeb. l. 41. D. de pign. atl. VNN.
Comment. ad Inst. lib. 3. tit. 15. §. 4. n. 3. hypothecariam
actionem abulive pignoratitiam nominari; Quamvis enim
non desint, qui omne inter hypothecariam & pignorati-
tiam actionem discrimen tollant; quamvis non desint alii
probi Icti, qui pignoratiae, licet personali, adversus ter-
ritum pignoris possessorem locum concedant, & Jus Cano-
nicum in c. 6. X. de pign. atl. imo Jus Romanum in l. 65. de
rei vind. l. 2. C. si pignus pignor. dat. l. 3. C. si vendit. pign.
agatur, huic sententiae favere videatur: haec sententia ta-
men solido destituitur fundamento; repugnat enim naturae
actionis personalis, & clarae definitioni in l. 27. & l. 40.
§. 2. D. de pign. atl.; & alleg. c. 6. interprete SCHILTERO exerc.
ad Pand. 20. §. 10., commodius de rei vindicatione intelli-
gitur, & eadem actio per alleg. l. 65. de rei vind. & l. 2, &
3. C. si vendit. pign. locum habet, si creditor pignus plane
alienavit; quodsi creditor pignus ulterius oppignoraverit,
idque fecerit sciente & consentiente debitore, hic actione
pignoratitia utili a secundo creditore rem suam, debito
soluto

71

soluto, repetere poterit, l. 2. C. si pign. pignor. l. 27. D. de
pign. act. quia nimis consensu suo ad factum creditoris
rem denuo oppignerantis concurrit & sic jus personale ad-
quisivit; sed et si non consenserit, poterit tamen actione a
primo creditore cessa rem suam, soluto debito, recuperare
l. 40. §. 2. D. de pign. act. l. 7. pr. de distract. pignor.

§. V.

Res inter alios acta aliis non nocet.

Definivimus, quis proprie dicendus sit tertius, quis
non. Ex his nunc intelligi potest, quum nemo sit laeden-
dus, rem inter alios actam tertio nocere non posse, l. 74. D.
de D. R. L. Hinc qui inveniuntur contractus, semper salvo ju-
re tertii valere debent, & a magistratu non nisi cum restri-
ctione, seu expresse posita, seu tacite subintellecta, confir-
mantur: *Iedoch jedermanniglich an seinen Rechten ohne Schaden.*
Quemadmodum nullum jus adquiri potest cum
damno tertii, ita nec renunciatio ab alio facta tertio nocere
potest, l. penult. C. de paci. Carpzov. P. 2. Dec. 157. n. 10.
Sententia, quae in rem judicatam abiit, jus facit inter par-
tes, & litigantes tanquam lex obstringit, l. 65. §. 2. D. ad
SCT. Trebell.; tertio autem nullum prejudicium facit, l. 63.
D. de re judic. l. 1. & 2. C. quibus res jud. non noc. Hinc si
post sententiam bona quaedam cuperit apparitor judicati
exequendi caussa, & tertius deinde, tanquam dominus, eo-
rum subhastationi se opposuerit ac vicerit, debitor, qui in
illa lite oppositionis non intervenit, non impeditur, quo mi-
nus ea ab illo, qui in lite oppositionis vicit, vindicare queat,

arg. l. 15. §. 4. 'D. de re judic. Ant. Matthaeus de anelion. l. I.
c. II. n. 93. Voet. Comment. ad Pandect. tit. de re judic. n.
29. Huc quoque pertinet l. I. D. de except. rei jud.: Cum res
inter alios judicatae nullum alii praejudicium faciant, ex eo te-
stamento, ubi libertas data est, vel legato agi potest, licet ruptum
vel irritum aut non justum dicatur testamentum; nec si supera-
tus fuerit legatarius, praejudicium libertati sit. In hac lege,
(cujus verba, ubi libertas data, vel legato agi potest, HALOAN-
DER ita emendat, ut commodiorem sensum fundant, legit ni-
mirum, ubi libertas data vel legatum, agi potest, quam lectio-
nem quibusdam bonae notae codicibus confirmari testatur
b. GEBÄVER ad l. I. in nova splendidaque recensione Corporis
Iuris Civilis, Gotting. 1776.) tractatur de ea specie, si in
uno eodemque testamento uni legatum quoddam relictum,
alteri libertas data, legatarius egerit contra heredem ad prae-
standum legatum, heres autem exceperit, testamentum ru-
ptum esse, & vicerit, an nunc ei, cui data libertas, obstat ex-
ceptio rei judicatae? quod quidem ob l. 8. §. pen. D. de inoff.
rest. statuendum videtur, sed tamen in nostra l. I. negatur;
cujus decisionis hanc BRVNEMANNVS in Comment. ad b. l.
adserit rationem, qui hic non principaliter de testamento
actum, sed de legato, ex cuius vi testamentum non depen-
det. Concurrit hic etiam maximus favor libertatis; quam-
vis enim testamento manumissus, ita demum fiat liber, si testa-
mentum valeat & ex eo adita sit hereditas, l. 23. pr. D. de ma-
numiss. testam. Libertatem tamen omnibus fere rebus favora-
biliorem esse docet GAIUS in l. 122. D. de reg. jur. & proinde
antiquos Legumlatores multa libertatis favore etiam contra
com.

communes regulas statuisse monet IVSTINIANVS §. ult. I. de
donat. Inter quos excelluere Divi Fratres & postea MAR-
CVS solus, cuius praeter alia exstat memorabile Rescriptum
in *tit.* I. de eo cui libertatis causa bona addicunur. WESTEN-
BERG Divis Marcus differt. 38. Quamvis igitur sententia sub-
motus fuerit legatarius jure communi tantum fruens, res
tamen judicata ei qui singulari favore ntitur obflare nequit;
quod & videmus fieri, si piae caussae aliquid legatum in testa-
mento, tunc enim corridente licet testamento, corruentibus
que aliis legatis in illo testamento relictis, nihilominus lega-
tum ad piam caussam, quod ordinarias sollemnitates Iuris Ci-
vilis non requirit, sed solum aperta atque indubia testatoris
voluntate sustinetur, subsistit. c. 11. X. de testam. STRYCK de
cautel. testament. c. 12. quo spectat etiam praejudicium apud
CARPOV P. 3. Conf. 3. def. 40. Ob nun wohl durch das letzte
Testament die im vorigen letzten Willen der Testirerin beyden
Bruedern vermachte Legata zugleich mit aufgehoben worden, so
bleibt es doch bey den andern beyden der Kirchen und Christoph
Goebels Tochterlein verordneten Legaten, gestalten Sachen nach,
weil aus allen Umstaenden zu vermutthen, daß solche beyde
Legata die Testirerin in dem letzten Testament nicht revo-
ciren wollen, nochmals billig. Commemorantur quidem a
Iuris interpretibus casus nonnulli excepti, in quibus nimirum
sententia inter alios lata aliis nocere debeat, quorum nonnali-
li recensentur in l. 63. D. de re jud. Sed si tertii notionem
ita, ut supra definitivimus, accipiamus, etiam in hisce casibus,
in quibus scilicet is, cui sententia praejudicat, non stricte di-
cendum est tertius, sua regulae generali vis constabit.

§. VI.

*Transactio, iusjurandum, Principis rescriptum, restitutio
in integrum tertio non nocent.*

Quum transactio non majorem habeat vim, quam res judicata, illa quoque tertium obstringere, eive ullum detrimentum inferre nequit. *Quare transactione quae inter heredem & matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum videri potest, neque manumisss vel legatariis actiones suae admittae.* *Quare quidquid ex testamento perunt, scriptus heredem convenire debent, qui in transactione hereditatis aut carvit sibi pro onere hereditatis, aut si non carvit, non debet negligenteriam suam ad alienam injuriam referre.* l. 3. D. de transact. Quod confirmatur lege 14. cod. quae dat utiles actiones in heredem quoque legitimum, cum quo transegit scriptus; dat autem creditoribus tantum, non legatariis aut fideicommissariis, quia inter utrosque luctuosa intercedit disparitas. Legatarii enim cum legitimo experiri nequeunt, quia non nisi ex testamento eis debetur, cum scripto igitur in solidum experiuntur. Quia tamen alia debita a defuncto contraacta a quibuslibet heredibus debentur, creditores in successionis incerto cum utroque recte experiuntur, pro parte in transactione adscripta; experiuntur vero non recto jure, sed utilibus actionibus, quia certum omnino non est, quis jure heres sit. *CVIAC ad d. l. 3. Iusjurandum assertorium idque voluntarium sive sit extrajudiciale sive judiciale, transactionis & rei judicatae vim habet,* l. 2. & 17. pr. D. de iure iurac proinde eadem ratione tertio obesse nequit; promissoriū quum sit negotii principalis accessoriū ejusque natura sequatur, hinc in tertii detrimentum itidem valere nequit

58

quit c. 19. X. de jur. Imo Principis rescripta si utilitatem
publicam l. fin. C. si contra jus vel utilit. privatumve tertii jus
quaesitum laedant, valore deſtituuntur, LYNK. dec. 1299. GAIL,
L. 2. olſ. 76. OLEARII diſſert. de exceptione jus tertii concerne-
te c. 1. §. 2. Akasv. FRITSCHI concluſ. praet. de jure tertii concl.
§. 9, 10, 11. Nam principis privilegia non praefumuntur ter-
tio jus ſuum auferre MENOCH. de praefumt. L. 2. praef. 9. Quam
ob rem etiam in dubio privilegia ita ſunt interpretanda, ut
tertio jus ſuum quaesitum ſalvum maneat. STRYCK de jure pri-
vileg. contra privil. c. 1. n. 13. Reſtitutio in integrum, quum
ex naturali aequitate profluat l. 1. D. de min. nullam debet
iniquitatem nullamque laeſionem tertii involvere. c. 8. de re-
ſcript. in 6. Hinc ſi minor amiferit jus ſimultaneae investitu-
rae, ac interim hypotheca tertio cum domini conſenſu fue-
rit in feudo illo conſtituta, deinceps minor reſtituatur in in-
tegrum, hypotheca illa legitime conſtituta non debet ob de-
fectum conſenſus agnati minoris impugnari, ſed valorem
ſuum retinebit, quoniam illa tantum minori reſtituuntur, quae
ex laeſione ipſa amifit; ſed illa hypotheca non fluxit ex amiſ-
ſione ſimultaneae investiturae, & dubium fuit, an etiam de-
feratur aliqua ſuccelio agnato. CARPZ. dec. 76. BRVNNE-
MANN ad l. 24. §. 4. D. de minor. n. 10.

S. VII.

Contra tertium datur exceptio.

At quemadmodum tertio factis aliorum nulla inferri
laeſio potest, eique proinde datur exceptio rei inter alios
actae: ita etiam nullum inde emolumētum ſibi arrogare
potest, ſi facta aliorum ad iſlos invicem tantum pertineant.

Hinc



Hinc tertius sive ex aliorum factis aliquid in se iuris derivare & inde actionem instituere velit, exceptione rei inter alios actas itidem repellitur, sive obligationem suam, aliorum iura allegando, subterfugere velit, exceptione ad jus tertii pertinente nullatenus juvatur. Alia omnia autem censere debemus, si quis minime ex factis aliorum, ad se non pertinentibus, sed ex jure proprio agat aut excipiat; eatenus enim non est tertius, sed jus proprium persequitor aut defendit. Sic exceptiones reales, quippe quae rei cohaerent, omnibus quorum interest competit, l. 7. §. 1. D. de except. Et generaliter omnibus quorum interest dari exceptionem docet l. 15. C. de non numer. pec. & BRVNNEMANN ad h. l. Ita etiam exceptiones, quae jus agentis vel totum vel pro parte excludunt, a quo vis allegari possunt MEV. P. 4. Dec. 284. ZANG. de except. P. 3. c. 26. n. 236. Hinc si Titius rei vindicationem instituat, is a quo petitur recte exceptionem opponere potest, rem de qua agitur esse alienam, quia haec non tam est exceptio de jure tertii, quam de non-jure agentis, TESSAVR. decif. 4. n. 8. HILLIG. ad Donell. L. 20. c. 7. lit. D. not. Ita & conductor, quem emitor vult expellere, potest opponere exceptionem nullitatis & vitii contractus; imperfecta enim venditio pro non facta habetur, nullamque producit alienationem l. 55. D. de contrah. emt. quae tamen ad expellendum conductorem necessario requiritur. Imo aliquis propter suum interesse se opponere potest executioni contra condemnatum institutae l. 15. §. 4. D. de re jud. si hoc summarie & intra breve tempus semiplene saltem probare velit *Abasv. FRITSCH conclus. pract. de jure tertii n. 36. tom. 2. opusc. pag. 366.* Denique

que notandum, si cui propter alios, seu occasione aliorum jure
disponente remedium quoddam datum, eum hoc jure tan-
quam suo uti posse, nec intuitu aliorum tanquam tertium con-
siderandum esse l. 10. §. fin. de bon. poss. contr. tab. PECK ad c.
75. de R. L. in 6. n. 8. BRVNNEMAN. ad l. 4. §. 3. D. si serv. vindic.

S. VIII.

Enumerantur exempla ad exceptionem de jure
tertii spectantia.

Nunc exempla quaedam perlustremus, in quibus tertius
frustra ab aliorum iuribus auxilium petit. Et primo qui-
dem omnino irritum erit auxilium, si ipse alius, ad cuius jus
provocatur, omni tali jure sit destitutus. Ut si unus ex co-
heredibus praesentibus divisionem rerum hereditiarum ve-
lit impedire ob eam solum rationem, quod aliquis coheredum
sit absens. Quum enim rerum communio sit mater rixarum,
& proinde quisque eam dissolvi cupiens fundatam habeat in-
tentionem, neque unus ex sociis aut coheredibus divisionem
prohibere valeat l. 2. §. pen. l. 43. D. fam. ercise. ; hinc mul-
to minus tertius ex coheredibus impedire poterit divisionem
legitime & non clam suscipiendam. Absens etiam non indi-
get auxilio alieno, huic enim si forte divisione fuerit laesus,
actione familiae ericundiae jam satis est prospectum. Ita
etiam si emphyteuta forte domino emphyteuseos per trien-
nium canonem non solverit, dominusque actione privatoria
non instituta mortuus fuerit, & nunc emphyteuta contra ter-
tium fundi emphyteutici possessorem moveat actionem, pos-
sessor ad excludendum emphyteutam minime poterit prae-
textu non soluti per triennium canonis uti. Domino qui-
dem

dem competit actio privatoria contra emphyteutam, canone per triennium non soluto, sed tamen privatio non ipso jure irrogatur; quum enim domino volenti liceat emphyteutam a praediis emphyteuticariis repellere *l. 2. C. de jure emphyteut.*, eidem volenti quoque licebit juri suo renunciare, quod posterius factum praesumitur, si nulla a domino mentis sua significatione facta, dominus vel emphyteuta deceperit, quo ipso omne jus privatorum simul extinctum putatur, ita ut actio privatoria nec ab heredibus nec contra heredes institui possit *l. 7. C. de revoc. donat. CARPOV. P. 2. c. 38. d. 9.* Plane nullo igitur jure a tertio possessore emphyteutae exceptio non soluti per triennium canonis obmoveri poterit.

§. IX.

In oppignoratione feudi, in interdicto uti possidetis & in exceptione spolii jus tertii non potest allegari.

Sed et si tertius ad cuius jus provocatur, sit revera illo jure instructus, nihilo magis tamen is, qui illud allegavit, inde juvabitur. Ut si vasallus feudum oppignoratus non quidem domini sed tamen agnatorum consensum in oppignorationem impetraverit, tunc agnati postea succedentes non posunt a sua obligatione sub eo practextu recedere, quod dominus in oppignorationem non consenserit. STRYCK. us. mod. ff. L. 20. 2. 3. §. 3. Idem juris erit, si vice conversa non quidem agnati sed dominus in oppignorationem feudi consenserit, nunc autem feudo ad dominum reverso hic ob defectum consensus agnatorum hypothecam agnoscere nolit. In utroque casu oppignoratio feudi intuitu ejus qui non consensit non est vali-

19

valida, ob 2. Feud. 55. & 8. §. penult. inf. Is tamen qui consensit, factum suum ipse impugnare minime poterit. In interdicto quoque uti possidetis ad tertii jus non attenditur. Hoc est interdictum retinendae possessionis rerum immobiliarum; ubi nimirum inter duo disceptatur, uter in possessione sit, is vincit in hoc interdicto, qui justus & sine vitio, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possidet, & proinde adversarius, qui ait, possidentem non quidem a se, sed a tertio quodam rem vi, clam vel precario accepisse, hac exceptione ad jus tertii pertinente plane non sufficitur, quoniam in hoc interdicto qualiscunque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quam turbator qui non possidet, ut expresse statuitur in I. i. §. 9. D. uti possid. Quod ait Praetor in interdicto nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, hoc eo pertinet, ut si quis possidet vi, aut clam, aut precario, si quidem ab alio, proficit ei possessio, si vero ab adversario suo, non debeat eum propter hoc, quod ab eo possidet, vincere, has enim possessiones non debere proficere palam est. Quod idem confirmatur I. 53. D. de adq. vel amitt. poss. Ius Canonicum spoliatum ante omnia restitui jubet, c. 5. X. de restitu. spoliat. quae restitutio tam actione quam exceptione spoliū urgeri potest; attamen haec exceptio spoliū frustra opponitur actori de spolio terrī, ut & liberis spoliantis, si hi nimirum non ex persona patris sed potius jure proprio contra spoliatum agant, BERGER oecon. juris lib. 4. tit. 18. n. 13. unde intelligi potest, exceptionem spoliū non curari etiam in possessorio summariissimo, quum tertius liquido jure suo intervenit, usque dum huic satisfactum fuerit. ID. ibid. n. 12.

C 2

§. X.

§. X.

*In contractibus commodati pignoris ac depositii allegatio
juris tertii non valet.*

In obligationibus quoque personalibus jus tertii neminem a sua obligatione liberat. In commodato obligatio commodatarii eo credit, ut rem finito usu restituat bona si de nec restitutionem ullo sub praetextu subterfugiat *l. fin.* *C. de commod.* *l. 20. de adquir. vel amitt. poss.* Ab hac obligatione eum nequidem exceptio dominii proprii, *ob. l. 4.* *§. 19. eod.* multo minus dominii tertii competentis liberat. Hinc directa datur commodati actio etiam furi vel praedoni, quippe quorum interest, rem sibi restituiri, quo ipsi eam vero domino reddant *l. 14. & 16. D. commod.* Aliud omnino dicendum, si prae donec hac actione experiente ipse verus dominus rem suam vindicans interveniat; quum enim eam ob caussam praedoni haec actio concedatur, ut tandem res furtiva ad dominum redeat, hunc praedoni postponi iniquum foret arg. *l. 31. §. 1. D. depositi.* Ita etiam se res habet, quum quis alteri rem ea sub conditione commodato dederit, ut eam vero domino restituat; quamvis enim jure stricto, quo alii per alium non adquiritur jus, nulla inde nasceretur domino commodati actio, ob aequitatis tamen rationem, quae rem domino reddi suadet, utilis concessa est *l. penult. C. ad exhib.* Cujus rei ratio quum sit magis civilis quam naturalis, (neque enim naturaliter quidquam impedit, alium per alium fieri locupletiorem,) *VLR. praelect. ad Inst. Lib. 3. tit. 20. n. 6. in fin.* quumque iuribus hodiernis nemo dubitet, vel paciscendo, vel le-

gem

gem dicendo, vel stipulando, alterum alteri cavere posse,
atque ita subtilitatem Jurisprudentiae Romanae esse subla-
tam, WISSENBACH. ad tit. Pand. de partis lib. 18.; hinc in spe-
cie proposita dominum directa commodati experiri posse
adparet.

Quod de commodato demonstravimus, idem ob ra-
tionis paritatem ad pignus admodum potest. Quam-
vis enim res propriae tantum pignori obligari posse di-
cantur in l. 20. D. de pigner. act. & quamvis vi l. 20. D. eod. is ni-
hil agat, qui rem alienam pignori accepit, hoc tamen eo
tantum valet, ut jus in re in detrimentum veri domini, qui
rem suam oppignorari nescit vel non consentit, hoc modo
constitui nequeat. FRANTZK. ad tit. D. de pign. act. n. 30.
At nihil minus res aliena etenus oppignorari potest, ut
contractus inter debitorem & creditorem valeat, atque de-
bitori, debito soluto, actio pignoratrica competat l. 9. §. 4. de
pign. act. creditor autem conventus exceptionem: *tu non es*
dominus, quippe ad jus tertii pertinentem frustra opponat.
STRYCK us. mod. Pand. Lib. 20. tit. 3. §. 4. Potest autem hoc
modo res aliena pignori dari etiam a fure aut praedone,
& deinceps actione pignoratitia repeti, quia videlicet ejus
interest eam sibi reddi, ut domino restituatur. l. 22. §. 2.
D. de pign. act. Idem juris est in deposito, nam & si pre-
do vel fur deposituerint, recte depositi agunt l. 1. §. 39. D.
depos.; atque ita exceptio dominii deficients deponenti nec-
quidquam objicitur; quo ipso tamen justiori veri domini
petitioni, quum ea in continenti liquido probari potest,
jura nihil detractum volunt, l. 31. §. 1. D. depos. Incurrit
bic

bis & alia inspectio, an bonam fidem inter eos tantum, inter quos
contractum est, nullo extrinsecus adsumto, aestimare debeamus,
an respectu eriam aliarum personarum, ad quas id quod geri-
tur pertinet: exempli loco, latro spolia, quae mibi abstulit, po-
suit apud Sejum inscium de malitia deponentis, urrum latroni
an mibi restituere Sejus debet? Si per se dantem accipientem
que intuemur, haec est bona fides, ut commissam rem recipiat
is qui dedit; si totius rei aequitatem, quae ex omnibus perfonis
quae negotio isto continguntur, impletatur, mibi reddenda
sunt, cui facto scelestissimo ademta sunt. Et probo hanc esse
iustitiam, quae suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab
eius personae iustiore repetitione.

§. XI.

*In correali bus obligationibus jus tertii neminem
juvat.*

In correali bus debit is, si ab uno plurium debendi
reorum stipulator acceptaverit oblatam sponte debiti par-
tem, non praesumitur inter reliquos suam divisisse actio-
nem, aut tacitum iniisse pactum de reliquis nonnisi pro
parte virili convenientidis, arg. l. 18. C. de part. ANT. FABER
Cod. lib. 8. tit. 27. defin. 9. VOET. ad D. lib. 45. tit. 2. n. 4. &
hinc unus ex reliquis correis in solidum conventus de ju-
re tertii excipit, si ratae suae solutione vult liberari. Ita
etiam, si ex pluribus correis debendi unus novatione l. 31.
§. 1. D. de novat., aut pacto de non petendo, aut legato, l. 3. §. 3. D.
de liberat. legat. & l. 33. D. de part. aut judicis sententia, pro
sua persona obligationi exemptus fuerit, hoc reliquis cor-
reis non prodest; multum enim interest, utrum res ipsa
fol-

solvatur, an persona tantum liberetur. *voet. l. c.*
u. 5. Quod etiam locum habebit, si quilibet cor-
 reorum stipulatori chirographum dederit & hic uni
 chirographum suum restituerit; chirographi enim re-
 stitutione creditor tacite promisso videtur se debitum non
 petiturum *l. 2. §. 1. D. de pæt.* Aliud autem statuendum
 videtur, si unum tantum ab omnibus correis chirogra-
 phum creditor habeat, idque uni ex correis restituerit,
 tunc enim, quia pactum de non petendo simpliciter con-
 ceptum in rem, non in personam, esse creditur, *l. 7. C. de*
remiss. pign. id reliquis correis si non ipso jure, certe per
 modum exceptionis prodebet debet. Dissentit *OLEARIVS*
in diff. de exceptione jus tertii concernente cap. 2. §. 6.

S. XII.

Qui pro minore fidejussit, est exsors beneficij restitutionis.
SCium Vellejanum tertio non prodes.

In fidejussionibus is, qui pro minorenni fidejussit, non
 potest exceptionem minoris aetatis opponere, solius enim
 minoris *personae* beneficium restitutionis in integrum est in-
 dulsum. *l. 13. pr. de minor. l. 1. 2. C. de fidejuss. min. AHASV-*
FRITSCH. de jure tert. concl. 30. COCCIN. diff. de jure tertii §. 4r.
 Quod heredi minoris, ob unitatem personae *Nov. 48.*
præfat. conceditur beneficium restitutionis, non idem com-
 petit fidejussori. Imo fidejussor eam potissimum ob cau-
 sam adhibetur ab eo, qui cum minore contrahit, ut cer-
 tiorem securitatem præstet, quam a minore, ab restitutio-
 nis metum, exspectare non potest, *LAVTERBACH Coll. præf.*
lib. 4. tit. 4. n. 20. Quamvis enim alias extincto debito
 principali, accessorum etiam dissolvatur, hoc tamen tan-
 tum

tum obtinet, si debitum principale ex jure communi, non
si per privilegium certis tantum personis indulatum resol-
vitur, l. fin. D. de duob. reis l. 68. D. de R. Jur. Caeterum
quod VPIANVS in l. 3. §. 4. D. de minor. scribit, restitutio-
nem minoris interdum solere fideiussori prodesse, de ea specie in-
telligendum est, ubi concurrente adversarii dolo minor lae-
sus l. 2. C. de fideiuss. min., vel fideiussor pro minore qui-
dem intercesserit, sed non qua tali, verum ut aliam perso-
nam sustinenti l. 51. D. de procurator. l. 89. D. de adquir. vel
omitt. hered.

Senatusconsultum quoque Vellejanum & auth. si qua
mulier tertio non prosint. Quamvis enim hoc S. C. mu-
lierum hereditibus l. 7. C. ad SC. Vell., fideiussoribus l. 7.
S. 1. D. de except. & qui mandato mulieris obligationem in
se receperunt, l. 6. D. ad SCt. Vell. succurrat, quum hi omnes
unam quasi eum muliere gerant personam, ejusque proin-
de juribus & exceptionibus gaudeant, tertius tamen jurium
muliebrium exsors omnino erit, ut diserte praecipitur in
l. 48. pr. D. de fideiuss. LEYSER medit. ad ff. tom. 3. spec. 169.
med. 6, qui rem praejudicio confirmat.

S. XIII.

Alius pro alio non compensat.

Compensationis tanquam brevi manu solutionis fun-
damentum est mutuum debitum & creditum, quod se in-
vicem, ita ut in arithmeticita quantitas positiva & negativa,
destruit, hoc autem cogitari non potest nisi inter eundem
credитorem & debitorem, hinc debitum tertii in com-
pen-
sationem venire omnino nequit l. 18. S. 1. D. de compensat.
l. 9.

I. 9. C. eod. alias debitoribus daretur occasio debiti exactio.
 Nem variis modis eludendi. MEV. P. 7. dec. 262. Ita igitur
 exceptio juris tertii quoque est invalida, si quis dicat, sol-
 vere volo, si alii mihi solvant, nec non si pars victa cui ju-
 dex ipse debet, solutionem ob id debitum deneget; nam li-
 cet magistratus injuste suum debitum non solvat, juste ta-
 men creditori cum effectu jus dicit, alias est respectus per-
 sonae qua debet, alias qua jus dicit; sic etiam Princeps juste
 condemnat eum, qui pro se fidejussit, injuste vero eum so-
 lutione debiti non liberat. MEV. P. 5. dec. 209. BRVNNEM.
Comment. ad Pandect. l. 4. §. pen. si serv. viend. Iam supra
 autem §. 4. monuimus, eum qui cum creditore vel debitori
 certo respectu pro una persona habetur, non posse dici ter-
 tium. Hinc fidejussori ex debitoris persona l. 4. 5. D. de
 compens. heredi ex persona defuncti, socioque ex persona
 socii l. 10. D. de duob. reis compensatio competit; Tutor
 quoque, qua talis, si convenitur ex persona pupilli, id quod
 sibi debetur recte compensat, si vero actionem movet, ei de-
 bitum proprium non obstat l. 23. D. de compens. Marito
 etiam id, quod uxoris suae debitori debet, mutua compensa-
 tione solvere licet, saltem compensationem illam non debitor
 uxoris, sed uxor tantum si ipsis interstit impeditre potest.
 Nam maritus, cui ex moribus totius fere Germaniae ususfru-
 ctus bonorum uxoris competit, satisfactionem quae uxori
 praestatur tanquam caussam sibi propriam spectare potest;
 ea quippe definitio VPLIANO l. 1. §. 11. D. quando appell-
 land. est caussa propria, cuius emolumentum vel damnum
 ad aliquem suo nomine pertinet, MEV. P. 2. dec. 217, n. 2.

D

cui

cui adstipulatur LEYSER med. ad ff. sp̄c. 174. med. 4. qui tam
Collegarum suffragiis vicit non ex animi sententia, sed
secundum auctoritatem LAVTERBACHII in Colleg. Pand. lib.
16. tit. 2. §. 9. contrarium statuentis pronunciare coactus
fuit. Ex dictis adparet, feminae vice versa compensationem
ex persona mariti non competere, sicut & eidem exceptio
rei judicatae ex persona mariti non datur. BERGER oecon.
Iur. lib. 4. tit. 22. §. 5. not. 6. Porro etiam cedens & cef-
sionarius pro una persona habentur, & quae illi opponi pos-
sunt exceptions in rem vel factum, possunt & huic; non
autem personales, ut exceptio doli, quae ex persona cedentis,
liquidem cessio titulo oneroso facta l. 4. §. 29. & 31.
D. de dol. mal. & met. exc., cessionarium non tangit.
Hinc exceptio compensationis, qua cedens submoveri poterat,
facta cessione etiam cessionario recte in debitis vul-
garibus opponitur; in cambio autem indossato exceptio
compensationis aut solutionis, quae cedenti objici poterat,
cessionario, tanquam exceptio ex obligatione tertii petita,
plane non nocet. *Mand. Elect. Saxon. de a. 1699. Er-
klaerung der Leipziger Handels- und Wechsel-Ordnung,*
wie es in Wechsel-Sachen in punto exceptionis compensatio-
nis & solutionis zu halten.

§. XIV.

*Ius protimiseos & retractus excludit exceptionem
de jure tertii.*

*Ius protimiseos pacto quaesitum, nec non jus re-
tractus lege vel consuetudine certis personis ob quasdam
qua-*

qualitates concessum etiam varia suppeditant ad jus tertii pertinentia. Nempe jus protimis eos, ut alia contra-
cta adquisita, in heredes transmitti, vendi cedique potest
I. 9. D. de probation. CARPOV. P. 2. const. 32. def. 20.
hinc si quidam heredum redimere nolint, reliquis adcer-
et illud redimendi jus, quod quum illis dubium reddere
extraneus emtor vel aliis velit, is certe de jure tertii
contra eos excepturus esset *ANT. FAB. Cod. lib. 3. tit. 25.*
defin. 9. BERLICH part. 2. concl. 40. n. 71. Ipsum au-
tem jus illud protimis eos, utpote pactitium quum sit per-
sonale, hinc contra tertium possessorem ad revocandam
alienationem jam factam allegari non potest. *I. 61. D. de*
pact. I. 2. C. de pact. int. emt. & vend. nisi scilicet alia
concurrent, ut clausula commissoria in casum contraven-
tionis adjecta *STRYCK Caut. Contr. S. 1. c. 3. §. 33.* aut
possessor qualitatis rei gnarus eam sciens comparaverit
WERNH. P. 2. Obs. 425. quia nemini dolus suus deber pro-
dese, & generatim qui dolum vel aliud factum impu-
tabile admittit, licet antea intuitu negotii principalis fue-
rit tertius, nunc intuitu hujus facti obligationem contra-
hit & eatenus definit esse tertius, (vid. quae supra §. 4.
diximus) *LEYSER med. ad Pand. sp. 239. med. 2.* Quod
deinde ad jus retractus legale attinet, cedi illud quidem
non potest, sed contra tertium possessorem, modo justo

id

id tempore fiat, in usum vocari potest. STRYCK de success. ab int. diff. 6. c. 4. §. 48. Quedsi proximus agnatus eo non utatur, idque proinde ulterior adversus extraneum adhibeat, fundatam intentionem habebit, nec a professore hac exceptione: tu non es proximus agnatus, quippe ad jus tertii pertinente, qua alienos vult agros rigare suis sitientibus, repellere poterit.



ULB Halle
007 368 429


3



vD 78



B.I.G.



XCVIII. 1778 35.
DISSE^TAT^O IN AVG^RALIS IVRIDICA
DE
**EXCEPTIONE AD IVS
TERTII PERTINENTE
PLANE INV^TILI,**

Q V A M

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFURTENS^I

PRAESIDE

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

Dn. RVD. CHRIST. HENNE, ICTO

EMINENTISSIMI AC CELSIS^MMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, FACVLTATIS
IVRIDICAE ET IVDICII PROVINCIALIS ASSESSORE, CO-
DICIS ET IVRIS FEVDALIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO

AD GRADVM DOCTORIS IN VTROQVE IURE LEGITIME
CONSEQVENDVM

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

D. XX. IVLII MDCCCLXXVIII.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBMITTIT

A V C T O R

CAROLVS DIENEMANN,

LOESNICENSIS

ADVOCATVS SAXON. ELECTORALIS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE, STANNO HENR. RVDOLPH, NONNII
ACADEMIAE A TYPIS.